



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

De aspirationibus pertinentibus ad viam illuminatiuam pro iis in cultu
diuino proficiunt. Cap. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

vt in iis consumantur, mihi que pœnitentiam iniungo. Laua me Domine tuo pretiosissimo sanguine; quia vna gutta illius sufficit ad saluandum totum mundum. Sana me ab omnibus plagis meis, quia tu es fons salutis. Sanctifica me auctor sanctitatis. Deus meus largire mihi sanctum iudiciorum tuorum timorem. Concede mihi bone IESV dolorem & odium grande de meis peccatis. Da mihi odium mei ipsius. Da dulcissime mi Saluator robur ad mortificandas meas passiones. Da mihi, vt rectum iudicium de me feram. Da, vt seuerè à me exigam pœnas, ad satisfaciendum iustitiæ tuæ. Da mihi Saluator, vt quamcumque pœnam, tribulationem, contemptum libenter recipiam in satisfactionem pro meis delictis. Da, vt potius eligam mori, quam peccare. Da, vt non modo timeam, fugiamque peccata grauia, sed etiam Ieuia. Da mihi firmissimum propositum non amplius peccandi. Da mihi gratiam perseuerandi, & pœnitentiam tota vita mea agendi.

*De aspirationibus pertinentibus ad viam
illuminatiuam pro iis qui in cultu
diuino proficiunt.*

CAP.

CAP. IX.

ASPIRATIONES ad hanc secundam
viam pertinētes, & seruire queunt pro-
ficientibus, sunt hæc Adoro te Deus meus
& Saluator meus Iesu Christe pro omni-
bus beneficiis tuis. Te laudo, benedico &
glorifico pro omnibus tuis misericordiis.
Gratias tibi ago, quod me elegeris ab æ-
terno, quod è nihilo creaueris, quod huc-
usque me conseruaris. Quod cum esses ve-
rus Dei viui filius me amasti, pro mea salu-
te homo factus, & passus. Gratias ago, quod
captiuum redemeris, quod perditum ve-
caueris, & saluaueris, quod fidei lumine,
tuorumque sacramentorum thesauro dita-
ueris. Gratias refero pro omnibus sanctis-
simæ vitæ tuæ, passionisque mysteriis. (Pos-
sunt autem hæc gratiæ ambulando cantari,
& quidem particulatim pro singulis my-
steriis in sancto Rosario comprehensis.)
Gratias ago pro particularibus omnibus
beneficiis mihi præstitis. Et hæc quoque
ambulando potes expendere, distinctè de
singulis gratias agendo, & dicendo. IESU
nostra redemptio, amor & desiderium. &c.
Adoro crucem tuam sanctissimam, eamque
toto cordis mei desiderio amplector, &
quanto valeo honore prosequor. Saluete

Pp 3 bene-

benedicta vulnera, quæ tu pro me recepisti,
 quibusq; me tuo cordi impressisti. Saluto
 cor tuum vulneratū & pro me patefactum.
 Absconde me Domine in tuis vulneribus,
 vt in illis saluare me queam & ab omni ma-
 lo liberare. In tuo corde reconde me, & in
 illo contra omnes inimicos me tuere scri-
 be in anima mea Domine omnes tuas por-
 nas & dolores, vt totis visceribus tibi con-
 doleam. Imprime plagas tuas pectori meo,
 vt totus sim tuo amore sauciatus. Detege
 Domine omnes virtutes, quæ in tua sa-
 cratissima vita passioneque relucet, vt in
 illis omnibus te imiter, & in omnibus
 perfectè me tibi conformem. O dulcissi-
 me I E S V, vt possim te imitari, da mihi pro-
 fundam humilitatem, & perfectam obe-
 dientiam. Concede mihi viscera misericor-
 dia. Pone Domine linguæ meæ frænum,
 omnibusq; sensibus meis. Porriges Domine
 lumen intellectui, puritatem cordi, spiri-
 tum meum corrobora, pacifica, tranquil-
 la, & omnia animæ meæ interiora exhilara.
 Exaudi me Domine, & postulatis meis
 annue, nec enim cupio mihi concedi, quæ
 congruunt propensioni meæ, sed quæ salu-
 tem meam & gloriam tuam rectius pro-
 moueant.

VERVM

VERVM quia Orationis Dominicæ pe- *Bonath.*
 titiones spectant quoq; ad viam illumina- *in myst.*
 tiuam, summam earum hoc loco quoque *theol.*
 ex Sanctorum libris describemus. *O Pater, Pater.*
 qui diuina tua gratia gignis filios spiritua-
 les, me quoque fac verum filium tuum.
 Da mihi gratiam, vt in omnibus tibi ob-
 sequar, & te tanquam filius sincero amo-
 re complectar. O pater, qui omnibus tuam
 bonitatem communicas, & in omnes cle-
 mentia tua dona summa liberalitate ef-
 fundis, sicut omnes nos è nihilo condidi-
 sti, ita omnes digneris adoptare in filios
 gratia. Da mihi, vt omnes amem velut
 fratres, eosdemque vera caritate & miseri-
 cordia complectar. *O Pater, qui es in ca-*
lis. licet enim vbique sis, tamen peculiari- *Qui es in ca-*
 ter in corporibus ecclestibus tuam poten- *elis.*
 tiam, sapientiam & bonitatem manifestas:
 in caelis verò spiritualibus, hoc est, in san-
 ctis omnib. alio modo magis speciali habi-
 tas. O si anima mea, tua gratia beneficio
 niteret, fulgeretque instar coeli, & virtuti-
 bus ornata esset, quasi stellis: tunc enim
 sedem oculis tuis gratissimam in ea repe-
 tires. O Pater sanctissime, vtinam nomen *Sanctifi-*
 tuum, potentia, maiestas, bonitas, sapien- *catum no-*
 tia vera fide ab omnibus nationibus *men tuum.*

agnosceretur, & religione, cultuque sancto coleretur & glorificaretur, perfectaque caritate adamaretur. Utinam, inquam, quod supra omnia est, haberere ab omnibus sanctus, & secundum infinitam bonitatem tuam diligereris ab omnibus. Nullam siquidem perfectionem, æquè ac bonitatem in mysterio redemptionis, quod maximè ad te amandum nos obligat, patefecisti.

*Adueni-
as regnū
tuum.*

O Pater clementissimè, non regnet amplius in nobis amor mundi, non domine- tur caro, non imperet dæmon, sed tu solus regna in animabus nostris, tu solus sis lumen nostri intellectus, & dux voluntatis. nihil sit in nobis, quod à te non moueatur, & dirigatur.

*Fiat vo-
lunt. tua.*

O dulcissime Pater, utinam in omnibus possem tuam sanctissimam voluntatē per- ficere. O utinam omnes indigenæ huius terræ, conformarent se incolis cæli.

*Panem
quotidia-
num da.*

O Pater clementissime, præbe animæ nostræ spiritualem cibum, id est, tuum san- ctum amorem. Huius cibi mirabilis est substantia, hoc quotidie opus habemus. hoc corroborantur animæ nostræ, pascun- turque donec veniamus ad æterna taber- nacula. Sed nec necessaria nobis desunt pro toleranda vita corporali, ut tanto arden-
tius

tius tibi per amorem adhæreamus.

O pater misericordiarum dimitte nobis *Et dimitte nobis.*
peccata nostra, ob quæ rei facti sumus pœ-
næ æternæ. quando quidem scimus te velle
ea dimittere, & nos inuitare, vt petamus
eorum condonationem. Condona igitur
Domine nobis non solum peccata grauiâ,
sed etiam leuia, quibus te quotidie offendi-
mus. testimoniumq; huius condonationis
nobis trade, quod soles tradere tuis filiis,
diuinum scilicet amorem.

Domine, postulas à nobis vt diligamus *Sicut & nos di-*
inimicos nostros, sicut tu eos diligis, & o- *mit.*
mnem iniuriam nobis illatâ remittamus,
vt nobis etiam nostra delicta remittantur.
Id præstant, Domine, viua tuæ Ecclesiæ
membra, & fac vt omnes ita faciamus, vt o-
mnes tecum in gratiam redeant.

O potentissime Pater, præbe mihi con- *Et ne nos*
tra omnes animæ meæ inimicos, omnesq; *inducas.*
tentationes victoriam, vt per amorem sem-
per tibi adhæream.

O benignissime Pater, libera me ab o- *Sed libe-*
mni malo pœnæ animæ meæ noxio, ac ab *ra.*
omni re quæ in hac vita impedire post per-
fectam meî cum tua diuina bonitate vnio-
nem, in altera verò claram faciei tuæ visio-
nem & contemplationem. Tanta caritate

me locupleta, vt immunis esse queam, non solum à cruciatib. æternis inferni, verum etiam temporalibus Purgatorii, non quod reformidem ob tui amorem aliquid pati, sed vt anima mea ab omni noxa purior, sit quoq; tuis oculis carior, & quando ex hoc corporis ergastulo euolabit, nulla interposita mora perfruatur conspectu possessione; infiniti boni, quod tantopere desiderauit.

*De aspirationibus pertinentibus ad
viam vnitivam.*

C A P. X.

ASPIRATIONES, & orationes iaculatoriæ ordinatæ ad vñionem perfectam animæ cum Deo, quæ exercentur in hac via vnitiva hæ sunt. Dulcis IESV, Deus meus amor infinitus, imple totum cor meum tuo diuino, & fortissimo amore. Inflamma animam tui amoris igne, qui nunquam extingatur, vt totus amore ardeam. Occupa omnes animæ meæ facultates, tua dulcedine, tuique amoris efficaciaz, donec nulla res eam moueat, nisi amor. O DEVS meus, amatum principium, & creator meus, o purissima, æternaque
essentia